



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

§. I. Conclusio affirmativa statuitur

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)

tus & comprehensor ejus gratia nullam incrementum intrinsecum poterat suscipere.

Non desunt etiam aliqui ex SS. Patribus, qui ut à prædicto Evangelistæ testimonio facilius se expediant, docent quod Christus dictus est per ipsa gratis incrementa crescere in gratia, sicut in sapientia, non in sua persona, sed in suo corpore mystico, cujus perfectio dicitur fuisse Christi, quia Scriptura sæpe tribuere solet capiti, quæ membris ipsis conveniunt. Ita Damascenus lib. 3. de fide cap. 22. & Dionysius Alexandrinus contra Paulum Samosatenum in responsione ad questionem 5. ipsius Samosateni.

ARTICULUS III.

Utrum gratia habitualis Christi, de potentia Dei absoluta, augeri possit?

Dixi gratia habitualis, quia certum & indubitatum est, sanctitatem à gratia unionis provenientem augeri non posse, tum quia est infinita simpliciter, tum etiam quia est donum substantiale; & consequenter incapax incrementi. Ad id, de potentia Dei absoluta, quia cum in Christo sit gratia plenitudo tam intensiva quam extensiva, de lege Dei ordinaria possibilis, ut articulo præcedenti ostensum est; & gratia ejus sit comprehensoris existentis jam in termino, manifestum est, illam de lege & potentia Dei ordinaria augeri non posse. Unde solum restat difficultas & controversia inter Theologos, an de potentia saltem absoluta, major intensivè esse possit?

Negativam partem docuerunt Durandus, Scotus, D. Bonaventura, Ricardus, & ex Thomistis Cajetanus, & Nazarius. Sed opposita sententia multò videtur probabilior, & doctrinæ D. Thomæ conformior, eamque docent communiter Theologi, tam domestici quàm extranei, unde sit

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

Deo igitur: Gratia Christi habitualis potest esse major intensivè, de potentia absoluta.

Probatur primò ex D. Thoma infra qu. 10. art. 4. ad 3. ubi sic ait: Dicendum quod sicut supra dictum est de gratia, quod non potest esse major gratia Christi, per respectum ad unionem Verbi, idem etiam dicendum est de perfectione divina visionis, licet absolute considerandum possit esse aliquis gradus sublimior secundum infinitatem divinæ potentie. Ex quibus verbis hoc potest deduci argumentum: Eadem ratio est, quoad augmentum intensivum, de gratia habituali, & de visione beatifica; cum gratia habitualis, ut est in patria, sit radix luminis gloriæ, & visionis beatificæ: Sed visio beatifica terminum augmenti non habet respectu potentie Dei absolute, cum, datà quacunque visione, possit esse aliquis gradus sublimior secundum infinitatem divinæ potentie, ut asserit S. Thomas: Ergo etiam gratia habitualis terminum augmenti non habet, sed potest quacunque data in infinitum augeri, subindeque gratia habitualis Christi potest esse major intensivè, de absoluta Dei potentia. Unde idem S. Doctor hic art. 12. ait, quod virtus divina potest facere aliquid maius & melius, quàm sit habitualis gratia Christi. Ubi loquitur.

Tom. IV.

tur de gratia Christi in esse qualitatis, ut patet ex argumento ad quod respondet, quod sic procedebat: *Augmentum gratia sit per virtutem divinam: Sed virtus divina, cum sit infinita, nullo termino coarctatur: Ergo videtur, quod gratia Christi potuerit esse major.*

Probatur secundo conclusio: Eadem est ratio de augmento gratiæ, ac de augmento charitatis: Sed charitas Christi, de potentia absoluta, potest esse major intensivè: Ergo & ejus gratia. Major patet, cum enim charitas consequatur gratiam, ut proprietas essentiam, charitate crescente, ipsa gratia crescere debet. Minor verò probatur ex D. Thoma 2.2. qu. 24. art. 7. in corp. ubi sic discurre: *Ipsa charitas secundum rationem propriam speciei, terminum augmenti non habet, est enim participatio quedam infinitæ charitatis. Similiter etiam causa agens charitatem est infinita virtutis, scilicet Deus. Et similiter etiam ex parte subiecti terminus præfigi non potest, quia semper charitate crescente, superexcrevit habitus ad huiusmodi augmentum: Ergo charitas terminum augmenti non habet, sed datà quâlibet quantumcumque intensa, potest amplius & amplius intendi; & per consequens ipsa charitas Christi, quamvis intensissima, de potentia absoluta, potest esse major intensivè.*

Respondet Cajetanus 2.2. quæst. 24. art. 7. D. Thomam loqui de charitate viatoris, de qua verum est, posse in infinitum crescere, non autem de charitate absolute respectu omnis status; cum enim ad statum termini vel comprehensoris charitas pervenit, ipsam amplius augeri repugnat.

Sed contra primò: Ratio quâ D. Thomas probat charitatem terminum augmenti non habere in ordine ad potentiam Dei absolutam, æquè probat de charitate patriæ, ac de charitate viæ: Ergo nulla solutio. Probatur Antecedens: Ratio qua nititur est quia Deus efficiens charitatem, est infinitæ virtutis, potentia receptiva illius limite caret; & charitas ex sua specie terminum augmenti non petit: Sed tria ista illimitationis capita, tam bene reperiuntur in charitate comprehensoris, ac in charitate viatoris: Ergo ratio D. Thomæ probat quamlibet charitatem, sive sit viatoris, sive comprehensoris, posse crescere in infinitum.

Secundò, Eadem est ratio de charitate patriæ ac de visione beatifica: Sed ex D. Thoma supra citato, visio beatifica terminum augmenti non habet, respectu potentie Dei absolute: Ergo nec charitas patriæ.

Probatur tertio conclusio ratione fundamentali: Potentia divina, cum sit infinita simpliciter, nullo finito termino coarctari potest: Sed gratia Christi habitualis intensivè finita est, ut art. 1. demonstravimus: Ergo de potentia Dei absoluta potest magis intendi, & in esse physico esse maior & perfectior, quamvis in esse moris, & secundum valorem & dignitatem moralem quam habet ex persona Verbi cui coniungitur, augmentum suscipere nequeat, quia (ut ibidem ostendimus) sub hac ratione infinita est.

§. II.

Solvuntur obiectiones.

Obiicies primò: D. Thomas in 3. dist. 13. quæst. 7. art. 2. quæstionem 2. ad 2. loquens de humanitate Christi ait: *Omne quod pertinet ad perfectionem gratia collatum ei fuit.* Et ibidem in secunda solutione.

Bbbb 2